

884. V, 3-4 — Bula do Papa Júlio III, *Praeclara charissimi in Christo*, pela qual concedeu a D. João III, e seus sucessores, os mestrados da Ordem

de Santiago e de Avis, para que os administrasse com o de Cristo. Roma, 1551, Dezembro, 30. — *Pergaminho. Bom estado.*

*Julius* episcopus servus servorum Dei. *Ad* perpetuam rei memoriam.

*Praeclara* charissimi in Christo filii nostri Johannis Portugallie et Algarbiorum regis illustris ac suorum in Portugallie et Algarbiorum hujusmodi regnis predecessorum erga hanc sanctam sedem merita necnon sincera fides et singularis devotio quibus idem Johannes rex in nostro et dicte sedis conspectu clarere dinoscitur promerentur et nos quodam modo compellunt ut illa prefato Johanni et pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum regi favorabiliter concedamus per que dissensionibus et odiis que inter personas regnorum hujusmodi exoriri possent occurratur ac eorundem regnorum quieti et tranquillitati consulatur.

*Dudum* siquidem Santi Jacobi de Spata sub Sancti Augustini et de Avis sub Sancti Benedicti regulis in dictis regnis militiarum magistratibus per obitum quondam Georgii olim ipsarum militiarum magistri seu administratoris extra romanam Curiam defuncti seu alias certo modo vacantibus nos considerantes magistratus predictos diversa castra villas terras loca et arces eis a clare memorie Portugallie regibus et aliis personis secularibus ut plurimum donata in quibus magistratus ipsos pro tempore obtinentes jurisdictionem exercent et plurimum preceptoriarum et pinguissimis redditibus dotatarum collationem habere et propterea tam pro justicia in castris villis terris et locis eisdem perfecte administranda ac arcibus predictis ad regna predicta ab infidelibus et perversorum conatibus defendendum ac in pacis dulcedine conservandum diligenter et fideliter custodiendis necnon preceptoris ipsis personis benemeritis presertim contra christiani nominis hostes dimicantibus conferendis plurimum expedire ut magistratus predicti persone regnis ipsis et illorum incolis grate et accepte per quam nedum in juribus suis conservari verumetiam adaugeri possent committerentur ac sperantes quod dictus Johannes rex qui justitiae zelator et orthodoxe fidei acerrimus defensor eatenus fuerat et tunc existebat ac christiani nominis hostes tam in Africa quam in partibus Indie Orientalis et Ethiopiae continuis bellis cum intollerabilibus expensis lacessere non desinebat et incolas inibi commorantes ad veri luminis cognitionem reducere magnopere studebat magistratus ipsos prout militiam Jesu Christi Cirterciensis Ordinis cujus idem Johannes rex administrator perpetuus per sedem predictam deputatus existebat eatenus laudabiliter et prudenter rexerat feliciter et tranquille gubernaret illisque posset esse utilis plurimum etiam fructuosus ac volentes eidem Johanni regi ut expensarum onera que in gerendis bellis predictis subire tenebatur facilius perferre valeret de alicujus subventionis auxilio providere motu proprio eundem Johannem regem quoadviveret administratorem perpetuum et irrevocabilem magistratum militiarum Sancti Jacobi et de Avis hujusmodi juriumque rerum et pertinentiarum suorum omnium et unacum magistratu militie Jesu

Christi hujusmodi cum plena et libera facultate auctoritate et potestate omnia et singula que magistri militiarum Sancti Jacobi et de Avis hujusmodi qui pro tempore fuerant facere et exercere potuerant etiamsi habitum per fratres milites dictarum militiarum gestari solitum nunquam susciperet nec professionem per eos emitti solitam emitteret faciendi et exercendi apostolica auctoritate constituimus et deputavimus curam regimen et administrationem magistratuum Sancti Jacobi et de Avis ac castrorum et aliorum predictorum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

*Cum* autem postmodum intra mentis nostre arcana sepius revolverimus singulas militias predictas ad hoc institutas fuisse ut contra hostes et inimicos fidei hujusmodi firma quedam presidia essent eorumque frates milites pro tempore existentes infidelium eorundem expugnationi ac terrarum ab eis occupatarum recuperationi jugiter vacarent et a pluribus annis citra prout tam dilecti filii Alfonsi d'Alencastro preceptoris majoris ejusdem militie Jesu Christi et ipsius Johannis regis consobrini et apud nos ac dictam sedem oratoris quam aliarum fidedignarum personarum relatione precepimus prefatus Johannes rex clare memorie Emanuelis Portugallie et Algarbiorum regis genitoris sui et aliorum predecessorum suorum predictorum vestigiis inherendo ad divini nominis exaltationem christianeque fidei propagationem in eripiendis e manibus ipsorum infidelium diversis provivens terris et locis et aliis iam ereptis conservandis necnon bello contra eosdem infideles tam terra quam mari gerendo gravissimos labores et expensas sustinuerit et tam in Indiarum quam in Africe et Ethiopie ac Brasili partibus nonnullas civitates insulas oppida et loca e manibus infidelium hujusmodi eripuerit eaque inibi christifideles introduci et nomen Domini predicari faciendo ad gremium Sancte Matris Ecclesie adduci procuraverit et ad hoc non solum vi et armis sed et nonnullarum ad hoc ab eo deputatarum excellentis doctrine et approbate vite personarum opera continue utatur et propterea Septensis et Tingensis civitates ac oppidum de Mazagam in Africe necnon Goanensis ac alias terras et loca in Indiarum partibus per eum et ejus predecessores prefatos e manibus ipsorum infidelium non sine magna sanguinis effusione erepta ad reipublice christiane commodum et universalis ecclesie exaltationem possideat et ut mortalium animas Deo efficacius lucrificat in civitatibus insulis terris et locis hujusmodi quamplura monasteria ecclesias hospitalia et collegia ad devotionis inibi habitantium excitationem erigi ac in illis ministros ecclesiasticos introduci fecerit. *Necnon* incolis et habitatoribus civitatum terrarum et locorum hujusmodi mediantibus diversis egregiis et fidelibus verbi Dei concionatoribus ut Sacrum Christi Evangelium amplecterentur et sub nostra et ejusdem sedis obedientia et protectione degerent adeo efficaciter persuaserit ut eorum infinitus fere numerus sacro baptismatis fonte renasci voluerit spereturque verisimiliter quod idem Johannes rex ad quem spectat bella ipsa contra infi-

deles prefatos tam terra quam mari et tam offedendo quam defendendo movere ac successores sui Portugallie et Algarbiorum reges pro tempore existentes divina eis assistente gratia similia et alia longa majora in dies pro tuitione et augmento christiane religionis facturi sint.

*Nos* attendentes quod si magistratus militiarum hujusmodi qui aliquando per romanos pontifices predecessores nostros regibus Portugallie et Algarbiorum hujusmodi seu eorum primogenitis aut aliis natis infantibus nuncupatis sive propinquis in administrationem dum expediens visum fuit concessi fuerunt et super quorum dum pro tempore vacant seu magistrorum ad eos electione que ad preceptores domorum etiam forsitan fratres milites singularum miliciarum hujusmodi spectare dinoscitur possunt facile inter preceptores et seu fratres et milites hujusmodi graves dissensiones et intestina odia exoriri et quos pro tempore obtinentes si se pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum regi opponerent regna predicta perturbare et diversos tumultus bellicos excitare ac bella que per eos contra infideles ut prefertur gerenda sunt in perturbationem quietis et pacis regnorum hujusmodi convertere possent prefato Johanni et pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum regi in administrationem perpetuam concedantur commitantur et assignentur ex hoc profecto dissensionibus et odiis ac perturbationi pacis et quietis regnorum et excitationi tumultuum bellicorum hujusmodi opportune occurreretur et prefatus Johannes et pro tempore existens Portugallie et Algarbiorum rex preceptorias domorum militiarum hujusmodi fratribus militibus idoneis et ad preliandum habilibus qui non solum cum vocati fuerint ad bella se accingent verumetiam regem ipsum ad expeditiones contra infideles prefatos ultro sollicitabunt ac se suaque omnia tam in classe maritima quam exercitu terrestri laboribus et periculis exponere non dubitabunt earum occurrente vacatione conferet seu conferri procurabit et bella ipsa commodius gerere et alia pro fidei catholice exaltatione et infidelium depressione necessaria et opportuna efficacius exequi poterit ipsique preceptores et fratres milites ac vassalli et subditi magistratuum hujusmodi libentius sub eorum naturali principe rege et militiarum hujusmodi administratore existente et ejus disciplina quam diversis ipsarum militiarum magistris cum majores conjuncte vires majora et preclariora in bello facinora edere possint militabunt seque omnibus periculis exponent.

*Et* propterea volentes in premissis opportune providere ac ipsius Johannis regis qui superioribus annis Bazaim et Dio civitates seu oppida in partibus Indiarum e manibus infidelium vi et bello eripuit et bis invicto animo Dio videlicet a turcis et rege Cambaye qui illam seu illud cum ingenti exercitu ducibus Soliman Bassa et Cojasuphar acriter et durissime obsidebant Bazaim vero civitates seu oppida hujusmodi ab oppidanis qui illam seu illud bello repetebant prestante Domino liberavit et turcas (*sic*) ac oppidanos ipsos non sine maxima eorum clade et jactura obsidionem hujusmodi solvere coegit ac demum fugavit et nomen Domini

Nostri Jesu Christi longe lateque propagare non cessat pro desiderio premissorum intuitu morem gerere. *Motu* simili non ad ejusdem Johannis regis aut alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de mera liberalitate ac ex certa scientia nostris singulos Jesu Christi et Sancti Jacobi ac de Avis magistratus hujusmodi qui in eisdem militiis supreme dignitates et ipsarum militiarum in dictis regnis et aliis dominiis eisdem regnis seu eorum regi subiectis capita esse noscuntur et quorum singulorum universas alias qualitates et illorum erectionum et institutionum tenores fructuumque reddituum et proventuum veros annuos valores presentibus pro expresso haberi volumus etiamsi quovis modo quem etiamsi ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet presentibus haberi volumus pro expresso et cujuscunque persona vacent etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem predictam legitime devoluta ipsique magistratus disponi apostolice specialiter vel generaliter reservati existant et ad illos consueverint qui per electionem assumi eisque cura et jurisdictionalis imminet animarum super eis quoque inter aliquos lis cujus statum presentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter vis quesitum cum omnibus et singulis illorum eorumque mensarum juribus pertinentiis jurisdictionibus castris villis oppidis fortaliciis terris et locis necnon fructibus redditibus proventibus obventionibus et emolumentis quocunque nomine nuncupentur et in quibusvis rebus consistent et undecunque proveniant et per nos aut predecessores nostros romanos pontifices pro applicatione fructuum reddituum proventuum jurium obventionum et emolumentorum preceptoriarum et forsitan aliorum beneficiorum ecclesiasticorum seu illorum decime aut alterius partis bellis pro tempore gerendis eisdem Emanuelli et Johanni regibus eorumque predecessoribus ac militiarum hujusmodi magistris in genere et in specie ac aliis quomodolibet concessis necnon facultatibus licentiis privilegiis et indultis prefato Johanni et pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum regi etiamsi regina ipsa in feminam aut minorem septem annis pervenerint et minor hujusmodi etiam femina existat in administrationem perpetuam. *Ita* quod qui rex aut in defectum regis regina regnorum hujusmodi pro tempore fuerit et singularum militiarum predictarum et illarum magistratuum absque alio juris aut facti ministerio perpetuus administrator aut administratrix sit et esse censeatur ac magistratuum eorundem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere seu etiam absque alia possessionis apprehensione militias ipsas et earum magistratus regere et administrare necnon illorum fructus redditus proventus jura obventiones et emolumenta ac alia premissa in suos et magistratuum predictorum usus et utilitatem convertere diocesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia vel consensu desuper minime requisita vel requisito necnon preceptorias et dignitates aliaque beneficia et officia militiarum hujusmodi ac alia ad collationem provisionem presentationem

electionem seu quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium earundem militiarum magistratorum spectancia tam secularia quam regularia beneficia personis idoneis conferre et assignare. *Necnon* premissa omnia et singula ac cetera que magistri militiarum hujusmodi qui pro tempore fuerunt in spiritualibus et temporalibus facere gerere exercere et administrare consueverunt seu potuerunt aut debuerunt facere gerere exercere et administrare necnon jurisdictionem et superioritatem ac quodcunque aliud dominium in preceptores et milites ac alios fratres et personas necnon oppida terras et loca ac bona et res militiarum hujusmodi per earum magistros exerceri solita exercere libere et licite possit in omnibus et per omnia perinde ac si singularum militiarum predictarum verus magister existeret ac omne jus et omnis auctoritas et potestas militias et magistratus hujusmodi tam in spiritualibus quam in temporalibus regendi et administrandi ac omnis alia jurisdictio et administratio ac singulos magistros militiarum hujusmodi de jure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinens et que in futurum pertinere poterit cum regnis hujusmodi incorporetur et consolidetur sic tamen quod pro tempore existens Portugallie et Algarbiorum rex seu regina eaque spiritualia pro tempore concernent per idoneas personas ipsarum militiarum religiosas ad id per cum deputandas et ad ejus liberum nutum et arbitrium amovibiles probe et laudabiliter exerceri facere debeat et teneatur apostolica auctoritate prefata tenore presentium perpetuo concedimus committimus et assignamus ipsumque Johannem et pro tempore existentem Portugallie et Algarbiorum regem seu reginam etiamsi ut prefertur minor existat perpetuum et irrevocabilem singularum militiarum et earum magistratuum juriumque et pertinentiarum predictorum in spiritualibus et temporalibus administratorem seu administratricem constituimus et deputamus et personis per pro tempore existentem regem seu reginam circa spiritualia deputandis omnia et singula quecumque singularum militiarum hujusmodi qui pro tempore fuerunt in concernentibus spiritualia per se vel alios ordinare disponere mandare et facere de jure vel consuetudine aut alias quomodolibet potuerunt seu debuerunt ordinandi disponendi mandandi et faciendi plenam liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus et ne in prejudicium concessionis commissionis assignationis constitutionis et deputationis nostrarum predictorum preceptores seu milites vel fratres militiarum hujusmodi aliquid de facto per via electionis vel postulationis seu alias decedente pro tempore rege aut regina regnorum hujusmodi attemptare presumant.

Nos ab eisdem preceptoribus militibus et fratribus omne jus et omnem actionem ac potestatem eligendi vel postulandi aliquem in magistrum alicujus ex militiis hujusmodi vel eisdem magistratibus de magistris aut administratoribus perpetuis quomodolibet providendi penitus et omnino tollimus auferimus et abdicamus ipsisque preceptoribus militibus et fratribus sub excommunicationis late sententie et privationis preceptoriarum ac aliorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum que pro tempore

obtinebunt necnon pensionum annuarum quas pro tempore percipient ac inhabilitatis ad illa et illas ac alia et alias imposterum obtinendas et percipiendas ac aliis ecclesiasticis sententiis censuris et penis per contravenientes eo ipso incurrendis ne de cetero aliquem in magistratum alicujus ex militis hujusmodi eligere vel postulare aut de eligendo vel postulando quovismodo tractare audeant vel presumant districtius inhibemus absolutionem eorumque sententias censuras et penas predictas incurrerint ac earum relaxationem nobis et successoribus nostris romanis pontificibus canonicis intransibilibus specialiter et expresse reservantes.

*Quocirca* venerabilibus fratribus nostris Ulixbonensis et Elborensis ac Bracharensis archiepiscopis per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quecumque ubi et quando opus fuerit ac quotiens pro parte Johannis et pro tempore existentis regis et regine hujusmodi desuper fuerint requisita solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes auctoritate nostra faciant eidem Johanni et pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum regi et regine a dilectis filiis conventibus prioribus preceptoribus fratribus et militibus obedientiam et reverentiam debitas et devotas necnon a vassallis et aliis subditis militiarum hujusmodi consueta servitia et jura sibi ab eis debita integre exhiberi ipsosque Johannem et pro tempore existentem regem et reginam ad magistratus prefatos ut est moris admitti sibi de illorum juriumque et pertinentiarum ac membrorum suorum omnium fructibus redditibus proventibus juribus et obventionibus universis integre responderi. *Contradictores* quoslibet et rebelles etiam per quasvis de quibus eis placuerit sententias censuras et penas ecclesiasticas ac alia oportuna juris remedia appellatione postposita compescendo ac legitimis super hiis habendis servatis processibus sententias censuras et penas ipsas et iteratis vicibus aggravando invocato et ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

*Non* obstantibus nostra per quam dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annum valorem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur alioquin unio non valeret et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis necnon felicitis recordationis Bonifacii Pape octavi predecessoris nostri etiam qua cavetur nequis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesim ad iudicium evocetur seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint alii vel aliis vices suas committere presumant ac de duabus dietis in Concilio Generali edita dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur et aliis apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon militiarum et ordinum predictorum jura-

mento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus stabilimentis usibus et naturis privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eisdem militiis earumque magistris preceptoribus militibus fratribus et conventibus sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis et derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis perquoscunque romanos pontifices predecessores nostros et nos ad dictam sedem etiam motu simili aut consistorialiter etiam per viam generalis legis et statuti perpetui ac initi et stipulati contractus in genere vel in specie aut alias quomodolibet concessis confirmatis et innovatis illis presertim quibus inter alia caveri dicitur expresse quod occurrente vacatione alicujus ex magistratibus prefatis prefati conventus preceptores fratres et milites unum forsitan de eorum gremio dictarum militiarum militem expresse professum eligere ipseque sic electus verus earundem militiarum magnus magister habeatur illique et non alteri conventus preceptores fratres milites prefati parere teneantur quodque nullus nisi ut prefertur electus magistratus ipsos obtinere possit et quecunque collationes electiones et alie dispositiones de magistratibus ipsis aliter etiam per romanos pontifices et sedem prefatos facte nulle et invalide nulliusque sint roboris vel momenti et penitus pro infectis habeantur prefatique milites aliis quam ut prefertur electis vel litteris apostolicis per eos impetratis parere minime teneantur et ob illorum non partitionem aliquas censuras sive penas nullatenus incurrant quodque privilegiis indultis et litteris nullatenus aut non nisi certis inibi expressis modo et forma derogari possit et si aliter deregetur derogatio hujusmodi nemini suffragetur quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica et expressa ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis necnon modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse pari motu derogamus contrariis quibuscunque. Aut si aliquis super provisionibus seu concessionibus administrationum sibi faciendis de magistratibus hujusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum ejus literas impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus Johannem et pro tempore existentem regem ac reginam prefatos in assecutione dictorum magistratuum volumus anteferri sed nullum per hoc eis quoad assecutionem magistratuum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari seu si preceptoribus majoribus dictorum conventuum necnon prioribus preceptoribus militibus et fratribus ac conventibus vassallis et subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint.

*Quodque* de magistratibus hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri seu concessio in administrationem fieri per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. *Volumus* autem quod magistratus ipsi debitum propterea non fraudulentum obsequiis et animarum cura in eis si qua illis imineat nullatenus negligatur sed rex seu regina pro tempore existentes omnia et singula eisdem militibus pro tempore incumbencia onera perferre omnino teneatur quodque ab alienatione quorumcunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium dictorum magistratuum genitus absteineat et quod succedens in regnis hujusmodi sive vir sive mulier existat antequam dictos magistratus vel eorum aliquem administrare possit juramentum seu juramenta si que de observandis statutis et consuetudinibus ac stabilimentis usibus et naturis dictarum militiarum vel alias per dictos magistros prestari consueverunt prestare teneatur. Deinde administrationi magistratuum hujusmodi libere se immiscere possit et ille ex eis qui ullo unquam tempore quod absit nostra et successorum nostrorum romanorum pontificum canonice intrantium et ejusdem romane ecclesie obedientia et devotione se retraxerit vel contra eam bellum susceperit aut in ejus dominium per se vel alium quomodolibet machinatus fuerit presenti gratia eo ipso privatus existat ac presentes litterae nullius sit roboris vel momenti ipseque concessio commissio assignatio constitutio et deputatio expirent et resolvantur expirateque et resolute censeantur et exinde ipsi magistratus vacent eo ipso et de illis per sedem eandem libere disponi possit et insuper ex nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. *Nulli* ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis commissionis assignationis constitutionis et deputationis ac aliorum premissorum infringere vel ei ausu temerario contraire.

*Siquis* autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo quinquagesimo primo tertio Kalendas Januarii Pontificatus nostri anno secundo.